

quibus tamen omnibus, existimò per qualitatem intentionalem nihil aliud sit debere intelligi, quām qualitatē diminutissimā entitatis, seu degenerantem ab entitate sua causa: si ergo lumen sit diminutoris entitatis, quām sit ipsa lux, & veluti species lucis, tunc lumen erit qualitas intentionalis; cum verò tenerimus supra lumen, & lucem esse qualitates eiusdem speciei, consequenter debemus admittere esse eiusdem realitatis, & proinde sicut lux est qualitas realis, & Physica; ita & lumen: & certè lumen videtur esse effectus luminosi eodem modo, atque ipsa lux, ergo sicut lux est qualitas realis, ita & lumen, differunt enim illa duo tantummodo denominatiū; denominatur, inquam, lux in quantum inheret luminoso, & lumen in quantum subiectatur in medio, sicut calor in igne, & calor in ferro tantummodo differunt in subiecto.

*Concordia de Bacchone.*

De Bacchone verò conatur componere vitramque opinionem hoc modo: vel lux respiicit ipsum medium, vt suum subiectum, vel in quantum virtute eius obiectum mouet potentiam visiūam, seu in quantum inducit nos in cognitionem obiecti: Primo modo lumen est quid realē Physicum; Secundo vero modo quid intentionale: Ratio huius est, quia quod manifestat, & inducit in cognitionem alterius, dicitur intentionale: sed licet hæc vera sint, at tamen non videntur ad propositionem, nam non sumimus hic intentionale pro eo, quod ducit nos in cognitionem alterius, alioquin imago Regis, statua Cæsaris, & huiusmodi deberent dici entia intentionalia, quod tamen recedit à communī loquendi vī: intentionale ergo debet sumi pre ēte diminuta entitatis; & cùm lumen non sit huiusmodi, sed sit conuenientis entitatis, vt manifestum est experientia, patetque ex rationibus Thomisticis supra allatis, sequitur quid sit ens verum, reale, & Physicum.

Qui admitunt species, hīc controuerunt, an vt lumen videatur, requiratur quid emittat species intentionales. Quæ difficultas in vitramque partem ab admittentibus species ventilatur, nam plures ex illis volunt lumen videri ablique specie impressa: alii volunt necessariam esse speciem impressam emissam in potentiam visiūam.

*Num. 54.*  
*Determinat*  
*auctior quod*  
*lumen non*  
*producat sui*  
*speciem.*  
*Prob. primo.*  
*Secundū.*

Respondeo, loquendo secundūm rei veritatem, lumen non producere speciem intentionalem, vt videatur: Prob. à fortiori: color non producit species intentionales, ergo neque lumen: Secundo videmus de nocte stellas micantes, & tamen aērem tenebrosum: sed quis dicit ex tanta distantiā produci species stellarū? nam species debent produci in aēre illuminato, at mediā nocte aēr est tenebrosum, ergo in eo non possunt produci species luminis, aut luminos. Nec dicas produci lumen à stellā micante vīque ad potentiam nostram visiūam, nam si produceretur lumen pér totum medium, videberemus, mediante illo lumine, intermedia obiecta: sed certè nequidem vicina illi luminoso videmus, v.g. si quis in aliqua fenestra existens procul teneat media nocte candelam accenam, non videbitur

ipse à potentia visiūa longissimè distante, atamen videbitur ipsum luminosum, seu lux ipsius candela.

Obijcīes: debet vniri potentia obiecto, sed lumen stellæ non est vnitum meæ potentia visiūa per se, ergo debet vniri pér sui species, igitur lumen producit sui species.

Respondeo potentiam visiūam vniri sym. pathialiter suo obiecto, qui modus unionis sufficit ad cognitionem: & certè illud argumentum maxime facit pro non admittentibus species intentionales; nam qui eas dicunt esse necessarias, nec potentiam posse vniri obiecto sine illis, non video quomodo respondere possint ad illud argumentum; nam dicere quid emittantur species intentionales ab ipso coelo stellato vīque ad nos, videtur ridiculum.

Quærunt item hīc Philosophi, an lumen recipiat in coloribus ipsis, an verò solūmodo recipiat in medio? v.g. an lumen, quid est in hoc cubiculo recipiat tantum in aēre, an etiam in ipsis parietibus? Quidam negant: alij & magis communiter affirman.

Respondeo lumen recipi etiam in exterioribus partibus corporis opaci. Probatur: in subiecto illuminato subiectatur lumen, sed corpus opacum, secundūm exteriores sui partes, est iluminiatum, ergo in eo subiectatur lumen: maior patet: minor probatur; nisi enim partes efficiunt illuminatus, nunquam videbatur. Secundo: in eo subiectatur lumen, vnde dicitur reflecti, sed lumen reflectitur à corpore opaco, ergo subiectatur in corpore opaco: maior patet, nam quare potius à corpore opaco dense reflecteretur lumen, quād à corpore diaphano, & raro, nisi lumen subiectaretur etiam in corpore ipso opaco: minor verò manifesta est.

Recipitur ergo, & subiectatur in exterioribus partibus corporis opaci, & secundūm illas partes dicitur corpus opacum illuminatum: unde non sunt audiendi, qui dicunt lumen tantum recipi in superficie exteriori corporis opaci; recipitur enim etiam in partibus interioribus, quas per poros ingreditur, & penetrat lumen: cuius rei ratio est, quia accidentis quantum recipitur in ipso subiecto secundūm dimensiones subiecti, sed lumen cum sit qualitas corpora, recipiaturque in corpore, in eo recipitur secundūm dimensiones corporis, ergo & secundūm profunditatem, & non tantum secundūm extitam superficiem, quia extima superficies non dicit profunditatem: dicendum ergo est quid ingreditur corpus opacum per poros ipsius corporis, & etiam profundè in quantum patiuntur, & præbent introitum pori.

Obijcīes: Porī sunt per totum corpus opacum, ergo si lumen ingredetur per poros ingredetur per totum corpus opacum, sed hoc non, ergo neque prius.

Respondeo ingredi per poros rectos; sed quia pori in corpore opaco varias, & obliquas habent vias, idēo postquam lumen priores invaserit poros, reperit resistentiam; quia verò antequam peruenire posset ad profundiores partes vincenda esset resistentia; necid possit præstare lumen; inde fit, vt tantum illuminet par-

*Num. 55.*  
*Dicendum: lu-*  
*men recipi*  
*etiam in co-*  
*loribus seu*  
*objecto vī-*  
*ibili.*

*Obj.*

*tus*